



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.

Disputatio Juridica Ordinaria,

D E

JURE OFFERENDI

Auspice

DIVINO NUMINE,

RRÆSIDE

HENRICO COCCEJO,

Jur. P. P. Ord.

Respondente

HIERONYMO ALERS,

Bremâ Saxone,

Ad ventilandum publicè proposita

In diem Decemb. h. l. q. f.



HEIDELBERGÆ,

Liseric SAMUELIS AMMONII ACAD. Typogr.

ANNO M DC LXXVIII.

Disputatio Juridica Ordinaria

D. E.

JURE OFFERENDI

DIVINO NOMINE

EXAMINATA

HENRICO COCCIO

Jur. P. R. Ord.

Respondens

THEOPHILUS ALEX.

Bicini Saxoniae

Ad exemplandum prothes proposita



HEIDELBERGAE

ANNO SAMUELIS AMMONII ACD. PMP.

ANNO MDC LXXVII





THESIS I.

HUIC offerendi debiti & debitori competit ad liberandum pignus suum; & posteriori creditori, ad effectum succedendi in locum prioris: illud notum vulgò ac tritum est; hoc paulò obscurius, cui proinde evolutius perno- scendo pro modo instituti pauca hæc præmittimus.

II. Initiò scil. notandum, quòd non tantùm nomine cesso vel vendito ipsa actio (utilis sc. cùm directa personalis inhæreat personæ creditoris, *per notiss.*) cessa venditave intelligitur, quia nomen hîc nihil est nisi ipsum jus agendi; sed & cesso venditòve chirographo seu cautione: non enim charta ullius est precii, ut de ea partes cogitasse videantur, sed potiùs de jure quod eâ continetur atque probatur; ceu *JCrus ait in l. 59. Leg. 3. Qui chirographum legat, non tantùm de tabulis, sed etiam de actionibus, quarum probatio tabulis continetur, cogitat: appellatione enim chirographi uti nos pro ipsis actionibus palam est, cùm venditis chirographis intelligamus nomen venisse &c.*

III. Idem ergò est, si creditor suum pignus tibi cedat aut vendat: nam & contraria pignoratitia, & hypothecaria in rem Tibi competit, quæ utraque competeat vendenti; verùm illa non nisi utilis, quia personalis est, personæq; vendentis cohæret; hæc etiam directa, quia est in rem: hoc enim jus in re, quod venditor habuit, directò, uti quodvis aliud dominium in Te transferri potest, transitque cum omnibus

accessionibus & privilegiis juri illi coherentibus, per §. preced.

IV. Sed & ipsa actio principalis, (utilis scilicet quia personalis est) tibi competit: videmini enim cesso pignore non de solo jure pignoris, quod ex se nullius est momenti, nullumque effectum aut usum habet, nisi quando principali alicui debito accedit; sed & de ipso hoc debito principali cogitasse; per tradita *th. 2. & d. l. 59.* & alioquin corrueret pignus cessione, si in persona Tua, (emptoris seu cessionarii) deficeret debitum principale, sine quo pignus esse nequit. *l. 6. princ. 2. m. pign. solv.*

V. Quinimo, si Tibi quoque debetur ab eodem debitore & pignoris domino, videtur omnino etiam de securitate proprii tui debiti cogitatum, & hujus quoque debiti causam pignus Tibi cessum: etsi, enim solvendo priori creditori, videri posses hujus saltem nomen cum pignore in Te transtulisse; tamen non facile quisquam paratam pecuniam alterius creditori solvet, ut eam per dubias lites & judiciorum molestias a debitore repetat; sed tui potius debiti causam, & pro ejus maxime confirmatione videaris pignus redimere voluisse *l. 1. l. 5. C. l. 11. §. ult. ff. Qui pot. in pign.*

VI. Potest igitur cuicumque ex posterioribus creditoribus pignus vendi, accepto ab eo debito cum usuris, & hic, oblato eo, succedet in locum & privilegium prioris, per *th. 3.* quod dicitur *Jus offerendi. l. 3. C. His qui in prior cred. l. 1. pr. & vers. sed ita. C. Si antiq. cred.* eique tenetur pignus & pro prioris creditoris & pro suo debito *l. 12. §. 6. Qui pot. l. 5. princ. Distr. pign. thes. 5.* iterumque ei offerri potest. *d. l. 5. §. 1.* Videtur a posterior creditor pignus emisse, quoties debitum cum usuris vel ipsi creditori priori pro pignore offert, *l. ult. C. his qui in prior. cred. l. 24. §. ult. Reb. aut. jud.* vel debitori ea expressa lege, ut ad creditorem perveniat. *l. pen. C. His qui in pr.*

hoc

hoc enim debitum est precium pignoris: unde si non tanquam pro pignore, sed simpliciter ad creditorem pecunia pervenit non videtur emtum pignus. *l. 1. C. His qui in prior. cred. l. 3. Qua res. pign.* indeque limitanda *d. l. 1. l. 5. C. Qui pot. & s.* Potest a. posterior creditor exercere hoc jus, seu offerre debitum etiam priori invito, vel, si hic eam accipere noluerit, obsignatam deponere. *d. l. 1. C. l. 12. §. 6. ff. Qui pot. l. 12. §. 6. eod. l.*

VII. Hoc ergo casu ipsum jus pignoris tantum distrahitur, non res ipsa ita ut ejus dominium transeat: *l. 6. distr. pign.* hanc enim debitor ipse tantum distrahere potest, quippe dominus; vel creditor quasi ex consensu domini, post solvendi moram, certumque insuper terminum jure præscriptum aliasque solennitates, de quibus *Dd. ad tit. Distr. pign.* & hoc casu, si ipse dominus seu debitor distrahat, omnibus creditoribus jus pignoris cum privilegio salvum manet, *d. l. 1. vers. cum autem. C. si ant. cred.* quia aliud est dominium, quod solum alienari potuit à debitore, aliud pignus. *l. 1. §. 2. Pignor. Verb. questio pignoris ab intentione domini separata est;* adeoque res transiit cum suo onere pignoris. *l. 67. Contrah. emt.* si verò creditor distrahit, potest posterior creditor hinc quoque jure suo offerendi uti, & oblato debito distractionem impedire, *l. ult. C. si antiq. cred. d. l. 6. D. Distr. pign.* facta a. semel distractione, & re non amplius integra, nec ipse debitor, nec sequēs creditor evincere re possunt. *l. pen. C. si ant. cr. l. 3. pr. Dist. pign.*

VIII. Hinc consequens est, quòd, qui nomen emit, privilegium quidem nominis consequatur, non autem pignus aut privilegium pignoris. *thes. 2. 3. l. 2. Cess. bon. l. 24. §. ult. Reb. aut. jud.* nisi de pignore quoque pactus fuerit, quippe quod diversum est à principali nomine; si autem de pignore quoque convenerit, (quo casu erit emtio nominis cum lege seu pacto pignoris,) non tantum hoc pi-

gnus sed & privilegium pignoris, & quidem eandem inter hypothecarios prærogativam consequitur, quam sine pignore inter chirographarios habiturus fuisset; semper enim, qui privilegium habet inter chirographarios, accepto pignore illud etiam habet inter hypothecarios; tria enim habet, pignus, nomen & privilegium. *per l. 2. C. His qui in prior.* ubi filius offerendo successerat tantum in privilegium nominis fiscalis, quod personale est, & tamen acceptis pignoribus præfertur creditoribus hypothecariis, qui cum patre ipsius adhuc contraxerant,

IX. Quod si ergo pactum de pignore adjectum non est, prodest hoc secundo creditori, qui ita fit primus; cum & prior desierit esse creditor, quippe soluta ipsi pecunia; nec qui solvit, in locum ipsius successerit in pignore quod non accepit; nemo ergo amplius secundo præfertur. *l. 3.*

Qua res pign.

X. Secus est igitur, si ipse secundus creditor vel etiam debitor offerant & solvant pecuniam, utroque enim casu secundus creditor succedit in locum prioris, etsi de pignore nihil convenerit; non quidem jure emtionis, sed hoc ipso quod prior creditor jam dimissus ipsique solutum est; sequens ergo jam prior est. *l. 4. ff. l. 1. l. 5. l. 10. C. Qui por.* Eademque ratio est, si prioris creditoris nomen per acceptilationem vel novationem extinguatur. *l. 18. Novat.* quo tamen casu si pignora repetat, sibi ipsi videtur succedere, id est, in locum pristinae suae obligationis. *l. 12. §. 5. l. 3. Qui por.*

XI. Hinc patet, quid dicendum; si pignus non quidem alii venditum, sed tantum oppignoratam sit, quia pignus pignoris constitui potest: cum enim pignore vendito non tantum hypothecaria actio, sed & principale nomen venditum videatur, *per thes. 4.* sequitur, quod pignore tibi oppignorato ipsum quoque nomen principale oppignoratam

ratum censeatur: unde, etsi soluto mihi debito utrumque pignus in re pignorata extinguatur, oppignorantis scilicet per solutionem. *l. 6. pr. Q. m. pign. solv.* tuum autem, sublato jure constituentis, *l. 31. eod. l. 4. C. si pign. pign.* manet tamen in nomine principali, quod ipsum quoque oppignoratum diximus. Igitur si nomen illud consistat in corpore, in eo durat pignus; si in pecunia numerata, & in illa quoque durat, verum hanc acceptam tecum seu cum debito tuo compensare & pro eo retinere poteris: quæ omnia continentur in casu *l. 13. §. 2. pignor. l. 18. princ. Pign. act.*

XIII. Hæc ita si pignus à creditore priore adquirat posterior. Quid autem si rem ipsam oppignoratam, ejusque dominium à debitore? Diximus jam *th. 7.* quòd re oppignorata distracta jus pignoris omnibus creditoribus integrum ac salvum maneat. Verum, si is, qui comparavit, quoque sit creditor, ejusque pecunia ad priorem creditorem pervenerit, non quidem in jus pignoris succedit, quinimo, si habuit pignus, id quæsito dominio confunditur. *l. 24. princ. Pign. act.* si tamen ab ipso pignus vindicant alii creditores, tuendus dicitur, scilicet per exceptionem saltem doli mali; *l. 17. Qui pot. & merito:* etsi enim in pignus succedere non possit, cum ipse sit dominus; cum tamen ejus pecunià prior creditor dimissus & pignus liberatum sit, absurdum videtur, eum esse deterioris conditionis emendo rem totam, quàm emendo solum pignus; cum dominio rei omnia jura, & ipsa quoque possessio, in qua pignus consistit, contineatur. *l. 8. l. 9. Commod. l. 17. §. 1. depos. arg. l. 24. §. 2. Reb. aut. jud.* Unde idem est, si ex alia causa pignus possideat, & vel à debitore vindicatione, vel à creditore hypothecarià conventus litis æstimationem præstiterit; nam hoc quasi precio emisse videtur: per *l. 46. Rei vind.* adeoque & creditori opponere exceptionem potest, & nisi debitum offerat, domino, *l. 2. l. 8. §. ubi. Q. m. pign.*

pign. sol. l. 29. fam. etc. Idem denique est in divisoris judiciis, si uni pignus adjudicatum fuerit. *d. l. 29.* quia & hoc vicem emtionis obtinet *l. 1. C. comm. uer. jud.* quo tamen casu, quia non ultro, sed ex necessitate sententiæ pignus accipit invito quoque debitori illud reddere & nomen persequi potest, *d. l. 29. vers. contra.* etsi animosè licitus dicatur, quia videtur hoc mandatu debitoris fecisse. *d. l. 29. vers. nisi si.* In reliquis a. casibus reddere nequit, quia ultro dominium sibi quæsit. *d. l. 46. d. l. 29. vers. non idem.*

XIV. Cùm autem posterior creditor debitum omne cum usuris offerre debeat, ut succedat in locum prioris, quaeritur an pro toto hoc debito, quod solvit, adeoque etiam pro ipsis usuris possit ex mora usuras computare? Quod videtur dicendum, quia is, qui alterius negotium gerens, uti gestor, tutor, procurator, fidejussor &c. pro debito cum usuris solvit, non tantum sortis sed etiam usurarum usuras computat. *l. 28. §. 1. l. 58. §. 1. in fin. l. ult. adm. tut.* quia ipsi non ut usurae, sed ut fors ex nova causa gestionis aut mandati debentur. Sed contrarium decisum est in *in l. 12. §. 6, Qui pot. l. 22. C. pign.* quia non alium, ut tutor &c. sed proprium negotium gerit, ceu dicitur in *d. l. 12. §. 6.* nim. ut cessionarius, qui non ex nova causa gestionis pro alio, sed ipsa actione cessa, qua usurae ut usurae petuntur, debitum persequitur.

XV. Hoc jus offerendi tertio creditori vel sequentibus adeò competit, ut licet secundus creditor pactus fuerit, sibi pignus dari si dimissus sit prior creditor, tamen is qui solvit potior sit. *l. 12. §. 8. §. 9. Qui pot.* dum enim tertius, oblato debito, succedit in locum primi, & in eandem obligationem, adeò ut eadem etiam actione cessa utatur, ille jam primus est, adeoque primus nondum quoad effectum dimissus videtur. Secundus ergo à quovis possessore, ipsoque adeò debitore

debitore pignus vindicare potest, excepto primo & qui ab eo emit, & jure offerendi in ejus locum successit. *d. l. 12. princ. & §. 7. eod.*

XVI. Porro quærit. Gail 2. *obs.* 18. n. 3. An jus offerendi locum habeat inter creditores post rem judicatam, si prior fortè creditor judicio egerit, & obtinuerit? Et locum illud habere arbitror, donec pignus judiciale vel nondum est distractum, per *l. 3. pr. distr. pign.* vel nondum ipsi creditori adjudicatum ex *l. ult. §. 3. C. de jur. dom. imp. l. 15. §. 33. Damn. inf.* Bald. in *l. properandum.* 13. n. 8. *C. judic.* ubi n. 9. addit, *ex consuetudine ne opus quidem esse expectare illud biennium, quod in d. l. ult. §. 2. debitoribus pignori tuendo ex humanitate conceditur.*

XVII. Denique quæritur, an juri offerendi præscribi possit? quæstio hæc æquali ferè suffragiorum numero in utramque partem vehementissimè à Dd. agitata fuit; & negativa Gailio, aliisque ferè Cameralibus placuit; juxta quam tria exempla rerum in Camera judicatarum affert Myns. 1. *Obs.* 16. Verùm evidens videtur, Camerales agere de sola præscriptione 30 annorum, quæ saltem ex hypothese juris Canonici, quod hac in parte observatur, non admittitur sine bona fide. In genere autem, salvo aliorum judicio, videntur rationes, quibus negativa fundatur, valde esse erroneæ: ut ex præcipuis saltem evidentur patebit.

XVIII. Affertur ergo (1.) *Quod nulla hic sit actio, cui præscribi possit, quia pignoratitia non nascitur, nisi soluto debito; quippe quæ sub hac demum conditione competit debitori, si solverit, per text. expr. in l. 13. §. 4. Pign. l. 9. §. 3. Pign. act.* Verùm error evidens hic est circa naturam conditionis: tacita enim conditio, qualis hæc est per *d. l. 13. §. 4.* non facit jus conditionale, nec impedit, quò minus purè ac statim competat. per *text. expr. in l. 99. Cond. & dem. Verb. Conditiones, quæ tacitè inesse videntur, non faciunt legata conditio alia.* Et in *l. 73. pr. Verb. obl.* ubi stipulatio pura dicitur, quæ ex re ipsa



dilationem capit. Ratio est, quia conditio hæc non ineft ex ipsa dispositione partium, ex qua jus omne nascitur, adeoq; statim competit; sed ex natura rei, propter quam executio saltem juris differri debet. Accedit, quòd in plena debitoris potestate est agere, in cujus potestate est conditionem implere juxta quam agere debet, uri hîc solvere pecuniam debitam; adeoque, si non agit, oblato debito, cum possit ac debeat, huic juri ipsius propter negligentiam non agentis non minùs ac aliis juribus præscribitur, juxta *l. 3. l. 4. C. præscr. 30. ann.* Denique actio emti pura est, ei que præscribi potest, & tamen intentari nequit, nisi oblato precio. *l. 13. §. 8. Act. emt. (2.)* Quòd jus offerendi in factò fundetur, & mera sit facultatis, non juris: quinimo non in actione, cui præscribatur, sed in debito ejusq; solutione consistat. Hoc quoq; omnino erroneum est; quia hoc jus offerendi nihil aliud est quàm jus oblato debito pignus repetendi, adeoque ipsa actio pignoratitia, quà debitor oblato debito pignus suum repetit, cui prouide ut aliis actionibus præscribi potest. Cæterùm, quænam verè sint res meræ facultatis dudum ostendimus in *disp. de Reb. mer. fac. (3.)* Propter text. expr. in *l. 10. C. de Pignor. act.* Verùm expressè illa agit, non de præscriptione longissimi temporis, quæ est 30. annorum, sed longi temporis, seu 10. annorum, qua rei dominium & vindicatio excluduntur; quod fieri nequit nisi per usucapionem aut saltem per eam præscriptionem, quæ est instar usucapionis seu quæ titulo & bona fide nititur, per text. expr. in *l. 1. l. 2. l. 4. l. 6. C. præscr. des. ann.* quod secus esse in præscriptionibus longissimi temporis constat. Reliqua quæ afferri solent, vix allegari merentur.

XIX. Negotium ergo tantùm nobis adhuc facessit ratio Juris Canonici, quæ in omni præscriptione requirit bonam fidem *c. 3. c. 5. c. 8. c. 17. c. pen. c. ult. Præscript. c. 1. c. 2. eod. in 6.* Verùm in his locis exertè inveniuntur duo specialia: Nam expressè hoc restringitur 1. ad præscriptionem 30. vel 40. annorum; *d. c. 3. c. 5. c. 8. c. 15. c. 17. d. c. 1. & 2.* & evidentè di-

versum

versum statuitur in immemoriali. *d. c. 1. Præscr. in 6.* uti & Camerales sententiam, quòd juri offerendi præscribi non possit, restringunt ad præscriptionem 30. annorum. 2. Ad possessores rerum alienarum; neque enim ullus est horum locorum, quin expressè agat de possessione rei alienæ, non verò de mera obligatione personæ; ad quam proinde hoc jus correctorium extendi non potest, præprimis, cùm apertissima sit differentia: rei enim alienæ assidua contrectatio & usus perpetuam memoriam atque conscientiam juris alieni continere, adeoque injuriâ carere non videtur: quam tamen penitus excludit immemorabile tempus. *d. c. 1.* Verùm in mera obligatione personæ nihil est iniquitatis si reus non solvat, quia non tenetur solvere, nisi actor petat, qui, si tanto tempore negligat exigere jus suum, in pœnam negligentiae solo temporis lapsu rectè excluditur. Ut nihil jam dicamus de publico illo incommodo, si nulla temporis diuturnitas lites sopire & securitatem tandem afferre possit.

XX. Cùm igitur 1. Juri offerendi indubiè legibus civilibus præscribi possit: & 2. rationes contrariæ sententiæ sint manifestè erroneæ: 3. Canones etiam, qui bonam fidem requirunt, expressè id restringant ad præscriptionem 30, vel 40. annorum: neque 4. jus correctorium extendi ad alia debeat: quinimò. 5. expressè immemorabile tempus excipiatur: 6. illi quoque, qui de consuetudine contraria Cameræ attestantur, quæstionem tantùm de tempore 30. annorum concipiant: & denique 7. hoc æquitati & utilitati publicæ convenientius sit, non ambigendum arbitror, quin hæc sententia, quantum ad immemorabile tempus, sit & verissima & receptissima, quod plenius jam non exequimur.

XXI. De utroque jure offerendi illud adhuc addimus; quòd ex posteriore non tantùm debitor creditori offerre possit, sed & emtori, cui non est ritè distractum, vel qui litis æstimationem præstitit; domino n. non nisi justa distra-

distractione aufertur jus suum, quod tamen ipsi non competit nisi soluto debito. *l. 2. Q. m. p. s. arg. l. pen. C. Si ant. cred.* Et ex priore non tantum creditor creditori priori, vel qui ab eo jus pignoris emit, sed & ei, qui à debitore emit, cum creditor debuisset jure conventionis distrahere per licitationem, quàm integrum creditoribus fuisset offerre. *l. 3. §. ult. Distr. pign.* Quinimo quivis possessor offerre potest, hoc ipso n. excluditur creditor, quòd debitum ei offertur; *l. 12. §. 1. Q. m. p. s.* non tamen vi solius possessionis potest cessio peti, sed, si justa sit, potest. *l. 19. Qui pot.*

Multa adhuc dici possent; sed hæc sufficiunt ad ostendendum, totum hoc jus ex sola natura cessæ actionis consequi.

COROLLARIA.

1. *Minores sine suis curatoribus obligari ex stipulatu possunt.*
2. *Prodigis non ipso jure, sed à Magistratu bonis interdicitur.*
3. *Venditor non tenetur cum precio restituere laudemium, quod emtor solvit.*
4. *Fructus tempore retrovenditionis pendentes, intervenditorem non sunt dividendi, sed debentur emtori.*
5. *Renunciatione S. Cti Vellejani non continetur renunciatio Auth. si qua mulier. C. Ad S. C. Vellei.*
6. *Compensatio in cambio locum non habet.*
7. *Nec in criminibus.*

Ostentant alii cognatæ insignia gentis,
 Nec sua, sed proavum facta decora cient.
 Tu quoque sic poteris celebres jactare parentes,
 Et decora in laudes ferre propinqua tuas.
 Exemplis felix; longè felicior inde es,
 Nempe, quòd ostentas non ea, sed sequeris.

Ita & præsentia Nobilissimi Domini conterranei
 Studia gratulari, & ad majora animare voluit
 PRÆSES.

Kd 2246

ULB Halle
002 800 578

3




5b.

M. S. V. 17







lica Ordinaria,

20

E

FERENDI

pice

NUMINE,

ESIDE

COCCEJO,

P. Ord.

ndente

MO ALERS,

Saxone,

publicè proposita

Decemb. h. l. q. f.



LBERGÆ,

AMMONII ACAD. Typogr.

DC LXXVIII.

